



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Mariani Societatis Iesv

Nádasi, János

Romæ, 1658

Anno MDCXXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42840

Mors.

Piceno, summo manè cuidam Patri sub aureo Reginae cæli pallio videri est visus in veste Societatis, illâ eum suum filium esse, difertè, iterùm ac tertio affirmante. Agnuit P. Odoardum esse is qui hæc videbat: & de Odoardi morbo ac morte postridiè Laureto literæ appulêre.

*P. Nic. O-
borski in
miraculis
illius Cra-
couia im-
pressis an-
no 1630.
pag. 23.
Illam pro
pace orare*

1119 In Collegio Califfiensi conspectus est hoc anno 10. Octobris B. Stanislaus in cælo in curru de genu supplex coram B. Virgine IESU parvulum sinu complexâ, & eodem curru vectâ. Eo die pacis pæctio inter Polonos ac Turcas est inita. Hæc ex iplo qui id vidit Patre habuit eius confessarius P. Seuerius Branscensis.

ANNO MDCXXII.

In campo

1120 P. Paulus Iosephus Ariaga Madriti cùm literis operam daret, ac in campum prodeambulatum prodijisset, à Beatissima Virgine, quam coram illi spectatam aiunt literæ, iussus est se Societati dare.

*ob. 1622.
16. Aug.
Huesi.*

1121 P. Franciscus de Otago de salute sua sollicitus & Deiparæ opem incitatus implorans, magno ab illa solatio perfusus est, cùm illam sibi videre est visus cùm corona Sanctorum; quæ Francisco librum splendidum ostédens, *Hic est, aiebat, liber vite, in quem relata sunt nomina electorum. Tu lege.* Legit ille in libro suum ipsius nomen, & alia quædam ignota nomina, de quibus Virgo: Fili, dicebat, hos quoque ad beatam patriam tuâ operâ deducet DEVS.

*In pertur-
batione
animi.
Vid. an-
nū 1588.*

1122 Eidem in Philippinis postea multos ad fidem reducenti, & se suosque ab illa protegi petenti respondere visa est Virgo: *Francisce, ne metuas: ego te iuuabo: perge.*

Fiducia.

Atque hæc de primo seculo Societatis IESU Utinâ patritam illam, auitamque Maiorum nostrorum

rum

rum in solido, ac peringenioso Deiparæ cultu hæ-
reditatem legitime adeamus, quâ possideamus hoc
Sanctarium DEI: & crescat cum Societatis ætate,
hæc etiam virtus, atque industria.

Societatis IESV seculum secundum.

ANNO MDCXLI. Soc. tot.

1123 Annæ Paraquariæ huius & proximo-
rum annorum in Reductione Apostolorum, Inda
Virgo, aiunt, cum varijs morbis vexaretur, hor-
tabatur ægram Pater è Societate, vt ad Deiparen-
tem conuersa, eam infimis precibus obsecraret;
vellet se discipulam tanto quidem magisterio indi-
gnam, de illis capitibus erudire, quibus summa
doctrinæ & honoris Christo eius Filio debiti con-
tinetur; eam quæ primum homini DEO in terris
domicilium præbuisset, omnium rectissime tradi-
turam quo animi cultu ac sensu DEVS hospes sit à
Virgine excipiendus. Paruit innocens animus; ac
non ita multo post quàm Sacerdos ægræ domum
deseruit, adesse denuò Patrem, & ab eo sterni si-
bi diuinam mensam iussit. Percontanti dein Pa-
tri; num omnia subinde fuisset affecta quæ postu-
labantur, plena solatio respondit: se à Deipara,
quam è præscriptâ formula innocasset, ordine do-
ctam, quid credere, quid adorare in hoc negotio
deceret: eaque se memoriâ complexam exquisitè
callere. Sacerdos sciscitatus, comperit eam nihil
earum rerum ignorare. Ergo illam diuino pane
impertijt; & illa abiit ad Magistram. Docebit nos,
si id ritè petamus, ad mensam Eucharisticam reli-
giosè accedere illa, quæ S. Bonauenturæ dicitur
Deliciarum DEI dapifera.

*Ad Eu-
charisticam
se illius
ope para-
re.*

*in Lit. ad
B.V.*

1124 In Paraquaria, in Reductione trium
SS. Regum Sodales B. Virginis, interposito eius-
dem